

num confertur sub hac forma : *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo*, etc. non daretur per signum collativum gratiæ, quod infra rejiciemus.

*Ad prob. R. D. Ant.* Concilium id demonstrat ex illis Apostoli verbis, quatenus exprimunt rem sensibilem gratiæ effectricem *C.* quatenus præcise manuum impositionem exprimunt, *Subdist.* loquendo de ordine hierarchico. *Tr. de alio quocumque N.* Synodus Trid. sic loquitur : *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis : inquit enim Apostolus : admoneo te, ut resuscites, etc.* Ubi Concilium primum generatim pronuntiat, per sacram ordinationem, quæ *verbis et signis exterioribus* perficitur, conferri gratiam : subinde hoc demonstrat exemplo ordinationis episcopalis, in qua impositione manuum velut signo exteriori gratiam impertiri probat ex Apostolo. At quis inde concludat, nullam ordinationem, in qua non usurpatur manuum impositio, sacramenti rationem habere? esto, ritum hunc ad ordinem hierarchicum esse necessarium. Quanquam impositio manuum a Græcis adhibetur etiam in ordinatione tam subdiaconi, quam lectoris, et qui ordines istos sacramenti dignitate spoliant, asserere debent, manuum impositionem interdum ritum esse ac ceremoniam, non semper sacræ ordinationis materiam.

74. *Inst. 3.* Olim Christi corpus etiam laici attrectabant, quod utique amplius aliquid videtur, quam sacra vasa contingere; ergo ex tradita in subdiaconi initiatione potestate tangendi sacra vasa atque ad altare deferendi, non infertur dignitas sacramenti.

*R. N. Cons.* Aliud quippe est de altari communionem accipere; aliud ad altaris ministerium accedere : istud omnibus recte credentibus commune quiddam est; hoc vero ad solos a Domino electos et in Dei sortem adscitos pertinet.

## ARTICULUS V.

## DE SACRO DIACONATUS ORDINE.

75. *Nota I.* Diaconatus recte definitur ordo, per quem potestas confertur, ut quis solemniter ac proxime presbytero sacris operanti inserviat. Unde S. LAURENTIUS apud AMBROSIUM L. 1. de offic. cap. 41. (opp. t. 2. p. 55.) ita Pontificem Sixtum alloquitur : *Quo sacerdos sancte sine diacono properas tuo? Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras.* Et S. IGNAZIUS in epist. ad Trallianos inquit (PP. Apost. opp. p. 191. edit. Hefel.) : *Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Jesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri. Cuncti revereantur diaconos, ut mandatum Jesu Christi.* Præterea in sacrificio missæ diaconi legebant Evangelium, teste S. HIERONYMO epist. 48. (al. 147.) ad Sabinianum diaconum : *Eucharistiam dispensabant præsentibus, atque ad absentes deferebant, cujus consuetudinis exempla complura extant apud CYPRIANUM; meminitque S. JUSTINUS Apol. 2.*

(opp. p. 97. E.) quod tamen officium ipsis aliquando, saltem præsentem Presbytero prohibitum fuit, ut habetur in Concilio Arelat. II. can. 13. (Lab. 1. 4. p. 1013. A.) et Carthaginensi IV. can. 38. (ibid. t. 2. p. 1203. C.) Tandem, ut alia munia præteream, baptismum cum eorum qui præsentem facultate conferebant.

76. *Nota II.* Diaconatum esse ordinem eumque sacrum, atque etiam hierarchicum, non est, cur prolixius hic demonstremus; cum ex iis, quæ dicta sunt hactenus de ordinum numero, ac speciatim de subdiaconatu, satis compertum habeatur. Novatores cum Calvino L. 3. Instit. c. 5. totis viribus contendunt, diaconatum aliud non esse, quam deputationem quamdam ad ministerium profanum, cujusmodi est præsidere mensis, et in viduas ac pauperes eleemosynas erogare. Spalatensis, ut hanc Calvini sententiam molliret, L. 2. de Repub. Ecclesiast. c. 4. addit, diaconos successu temporis ex Episcoporum facultate etiam altaribus aliquo pacto inserviisse, atque aliqua sacra ministrasse. Tolerabilis hac in parte foret hic hæreticorum error, si alias adstruerent sacræ ordinationes et altaris ministeria; quandoquidem nec ex Catholicis Theologis defuere, qui diaconatui sacramenti dignitatem ereptum irent. Talis fuit Durandus in 4. dist. 24. q. 2. Talis Cajetanus tom. 1. Opusc. tract. 11. asserentes solum sacerdotium esse sacramentum. Horum tamen opinionem præclarissimi Doctores aiunt, sine temeritatis nota defendi non posse. Itaque

77. *Dico.* Diaconatus est sacramentum proprie dictum.

*Prob. I.* In diaconatu reperiuntur omnia, quæ ad sacramentum proprie dictum requiruntur. Nam 1º. constat signo sensibili, manuum scilicet impositione, quam in primorum Diaconorum inauguratione usurparunt Apostoli, qui Act. 6. v. 6. *orantes imposuerunt eis manus*, quamque Ecclesia semper adhibuit. 2º. Ritu hoc sensibili confertur gratia, quod invicte ostenditur ex canone 4. Sess. 23. Concilii Trid. *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere : accipe Spiritum sanctum, etc.* Etenim apud Latinos eadem verba recitantur ab Episcopo manum imponente iis, qui diaconi consecrantur; in Ecclesia vero græca eodem plane modo diaconus, quo presbyter ordinatur, mutata duntaxat voce *presbyteri* in vocabulum *diaconi*. Igitur consecratio diaconi est signum sensibile conferens Spiritum sanctum et gratiam. 3º. Diaconatum divinæ institutionis esse, colligitur tum ex facto Apostolorum diaconos consecrantium; tum ex Tridentino eadem Sess. can. 6. anathema contorque in eos, qui dicunt, *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinam ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris*: adeoque nisi quis sacrorum virorum cœtui adlegere velit clericos cæteros, necesse saltem erit ei inserere diaconos, qui peculiari ratione, suique etymologia nominis, ministri dicuntur.

*Prob. II.* Traditione Patrum, inter quos, ne recenseam paulo ante commemoratos, Auctor operis de Hierarchia Eccles. cap. 3. diaconos vocat *selectos liturgiæ ministros* (opp. t. 1. p. 187. D.). S. OPTATUS Milevit. L. 4. *Quid commemorem, inquit, ministros plurimos, quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?* Quo in loco per ter-



tium sacerdotium sacri ordinis ministerium intelligi oportet; aliunde quippe constat, sacerdotii gradum duplicem tantum esse, Episcopatum et Presbyteratum. S. Hieronymus in epistola ad Evagrium, seu Evangelium 146. (al. 85.) postquam diaconorum presbyteris sese æquantium insolentiam multis castigaverat, subjungit, quod Aaron, et filii ejus atque Levitæ in templo fuerant, hoc sibi episcopos et presbyteros et diaconos vindicare in Ecclesia Dei. Ex quibus diaconorum officiis procul dubio sacris, atque hinc a Patribus tantopere commendatis conficitur, eos peculiari Dei gratia indigere, proindeque eorum ordinationem esse sacramentum.

*Prob. III.* Diaconatus semel susceptus nunquam amittitur, nec iterari potest; igitur characterem imprimit, ideoque sacramenti rationem habet. Nec juvat dicere, diaconatum non ex characterem, sed ex consecratione quadam jureque divino esse perpetuum. Nam si perpetuitas ista aliunde, quam ex characterem repeti potest; ruel certe princeps Catholicorum ratio, qua probant, quibusdam sacramentis imprimi characterem, eo quod iterari nequeant, ut alibi diximus.

78. *Obj. I.* Diaconatus non est a Christo institutus; ergo non est sacramentum. *Prob. Ant.* primum auctoritate S. Cypriani, qui epist. 65. ad Rogatianum ait: *Diaconos post ascensum Domini in caelos Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiae ministros.* Deinde testimonio ANACLETI cap. 1. epist. 3. quæ extat apud Labbeum tom. 1. Concil. (p. 528. A.) ubi recensito sacerdotum et episcoporum ordine addit: *amplius, quam isti duo ordines, nec nobis a Deo collati neque Apostoli docuerunt.* Confirmat id DAMASUS epist. 5. (Labbe. t. 2. p. 877. C.) scribens: *quia ordines sunt duo tantum primi in Ecclesia, id est, Apostolorum, et septuaginta discipulorum.* Ergo.

*R. N. Ant. Ad prob. N. Cons.* Nam Cyprianus tantum ait, Christum non consecrasse diaconos, sed istos ab Apostolis fuisse constitutos et electos, ut cujusdam diaconi adversus Episcopum insurgentis audaciam reprimeret. Ex hoc tamen non sequitur, diaconatum a Christo non fuisse institutum; sicut quamvis neminem Christus confirmaverit, aut extrema unctione munierit, inferri non potest, Confirmationem, extremamque unctionem a Christo non fuisse institutas. Anacletus et Damasus non loquuntur de omnibus ordinibus, quos Christus instituit, et ab Apostolis accepimus, sed de ordine duntaxat sacerdotali, qui duplex est, Presbyterorum scilicet et Episcoporum; inquit enim ibidem Anacletus: *Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus est, et sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari.* Id quod etiam confirmat Damasus, quoniam Christus solum elegit Apostolos, quibus Episcopi, et Discipulos, quibus Presbyteri respondent. Atque hoc uterque Pontifex docet ad deprimendam arrogantiam Chorepiscoporum, qui sese aut pares Episcopis, aut hos inter ac simplices sacerdotes medii cujusdam ordinis esse jactabant, cum tamen ipsi simplices tantum sacerdotes essent, tametsi ampliori aliqua jurisdictione præditi, quam cæteri presbyteri.

79. *Inst. 1. Act. 6. v. 2.* electi sunt diaconi, ut inservirent mensis, aliaque munia obirent, nequaquam sacra et ad altaris mysterium spectantia: legitur enim: *non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare*

*mensis. Considerate ergo, fratres, etc. et elegerunt Stephanum, etc.* Narraturque ibi murmur Græcorum adversus Hebræos, cujus occasione diaconi constituti fuerunt, ut utriusque nationis viduis æqua pars eleemosynarum distribueretur. Gratis igitur asserimus sacra ministeria, tanquam ex Christi institutione convenire diaconis.

*R. N. Ant.* Fatemur equidem occasione murmuris Græcorum septem diacones fuisse electos, qui ad normam charitatis oblata a fidelibus bona dispensarent: attamen eosdem sacros etiam ministros ab Apostolis inauguratos cum Lucas ipse haud obscure in Actis prodidit, tum vero Patres viva voce diserte tradiderunt. Certe antequam constituerentur diaconi, sedulo investigatum est, non tam, quantæ industriæ essent ac fidelitatis, quod pro ministerio mensarum satis esse poterat, quam utrum essent *boni testimonii et pleni Spiritu sancto ac sapientia*, quæ sane ad sacrum ministerium, non ad profanum referuntur. Narrat deinde sacer historicus, illos Apostolicarum manuum impositione ordinatos prædicandi Evangelii, ac baptismatis conferendi jure potitos fuisse, quod de Stephano præsertim ac Philippo perhibetur. Demum ex iis, quæ eo loci scripsit S. Lucas, sacra diaconorum officia desumpsere Patres supra laudati: quibus hic addo Ven. BEDAM, qui in cap. 6. Actorum scribit, septem diaconos ab Apostolis electos, *qui sublimiori gradu essent cæteris, et proximi circa aram quasi columnæ altaris assisterent.* Et in Libro Retract. ejusdem operis sic in eundem scopum loquitur: *Communis quidem dispensatio exigebat, ut ministri pro viduis viri eligerentur: verum ubi inventi sunt, qui digni ad hoc ministerium esse viderentur, crescente gradatim, ut solet, providentia consilii salutaris, placuit eosdem lectores ipsos altaris quoque sacri ac dominici sanguinis, sicut et refectionis mensæque communis multitudinis credentium ministros ordinari. Quod probatum est verbo, quo dictum est eorum, qui de communi fidelium numero ad sacrosancti altaris promoventur officium.* (Patrol. t. 92. p. 1012. B.)

80. *Inst. 2. S. Hieronymus*, ut comprimat ævi sui diaconos, qui efferebant se, ac insolescebant adversus presbyteros, sic in epist. ad Evangelium citata scribit: *Quis patiat, ut mensarum ac viduarum minister supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus Christi sanguisque conficitur.* Idem confirmat Synodus Quini-sexta habita in Trullo an. 692. quæ can. 16. (Labbe. t. 6. p. 1149. E.) disertis verbis juxta mentem S. Chrysostomi hom. 14. in Acta declarat, septem illos diaconos ab Apostolis electos fuisse, ut mensis duntaxat ministrarent, et sic concludit: *Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt...; sed eos esse, quibus fuit concedita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant, qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis, et studii in eos, qui indigent.* Porro verba CHRYSOSTOMI Trullano canoni inserta sunt ista: *Quamnam autem habebant hi (electi Act. 6.) auctoritatem, et quam acceperunt ordinationem, scire est necessarium. Numquid diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesiis. An presbyterorum dispensatio? Atqui nullus adhuc erat Episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec diaconorum nec presbyterorum nomen existimo apertum esse ac manifestum.*

*Ad 1<sup>am</sup>. R.* Eo loci Hieronymo satis fuisse recensere causam, quæ diacono-



norum electioni occasionem dedit. Et sane nihil opportunius ad frangendam diaconorum istorum insolentiam objicere poterat sapientissimus Doctor, quam infimum administrationis officium, viduarum scilicet mensarumque ministerium, a quo presbyteri eximuntur. Verum in eadem epistola S. Pater diaconorum ordinem commendat quam maxime, cum hoc esse dicat diaconos in Ecclesia Dei, quod in veteri Testamento Levitæ fuerunt, quos consecratos fuisse atque electos ad obeundum ministerium in tabernaculo fœderis compertum est.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. Ex canone Trullano id unum probari posse, quod duo essent diaconorum ordines, alter mensis et viduis destinatus, mysteriis alter, qui propterea sacramentum foret. Quod idem cum OECUMENIO docent nonnulli Theologi et interpretes, inter quos sunt Vasquez et Augustinus Calmet, asserentes, septem viros, de quibus Act. 6. fit mentio, tunc non diaconos, quales nunc sunt in Ecclesia, sed mensarum duntaxat ministros ab Apostolis esse institutos. Verum huic sententiæ non subscribimus; habet enim hoc incommodi, quod, si eadem probetur, nequeat sacer diaconatus ordo sacramentum litterarum auctoritate demonstrari; tametsi cæteroquin ad ordinem ipsum vindicandum universalis traditio suppetat. Expediit itaque communisque Theologorum responsio est, canones Concilii Trullani parum habere auctoritatis, quippe nec receptos, nec a Pontifice Sergio confirmatos.

Accedit, quod canon 16. qui objicitur, falsa nitatur verborum CHRYSOSTOMI interpretatione. Affirmat enim cit. loc. CHRYSOSTOMUS (opp. t. 9. p. 115. A.) initio quidem nullum fuisse inter episcopos, presbyteros et diaconos apertum discrimen quoad nomen quod ante apposuit S. Doctor, omnesque appellatos fuisse sacros ministros, horum tamen extitisse ordinationes. Nam S. CHRYSOSTOMUS verbis supra recitatis hæc addit: *Sed interea in hoc fuerunt ordinati*; quæ verba a Synodo Trullana fuere prætermissa. Ut ergo erant ab initio, quantum ad *characterem et ordinem* episcopi, ita erant et diaconi. Atque hanc diaconorum sacram ordinationem CHRYSOSTOMUS ead. hom. 14. haud obscure indicat, cum in ea verba: *imposuerunt illis manus* Act. 6. ait manifestum esse, *quoniam Apostoli hoc ritu septem illos segregaverint a multitudine*, subjicitque in eo ritu fuisse *impositionem manuum, quæ hominis opus est, atque divinam operationem*.

81. *Obj. II.* cum Durando. Quando ex multis ad effectum aliquem sacramentalem directis, unum solum eundem præstat, reliqua non censentur nisi quædam *sacramentalia*, et præparationes ad illum, ut manifestum est in baptismo, in quo exorcismi et insufflationes præcedunt ceu præparationes ad ablutionem aquæ, quæ sola sacramentum constituit: atqui ita se habent inferiores ordines ac diaconatus ad presbyteratum, qui solum attingit effectum sacramentalis ordinationis, id est, consecrationem corporis et sanguinis Dominici; solus igitur presbyteratus erit sacramentum.

R. *Trans. Maj. N. min.* Neque enim consecratio corporis et sanguinis Christi sacræ ordinationis effectus est, sed finis. Nam effectus ordinationis est gratia sanctificans et character: atqui tam illa, quam iste non in sacerdotio solum, verum etiam in diaconatu producit; ergo non solum sacerdotium, sed et diaconatus verum propriique nominis sacramentum est. Atque hinc dispar ratio constat, cur in baptismo solum ablutio aquæ cum

sua forma sacramenti rationem habeat, non item insufflationes, exorcismi, etc. quoniam horum ope nulla, saltem ex opere operato gratia, nullus character confertur: ideoque nudæ sunt ceremoniæ ad sacramentum præparantes.

82. *Inst. 1.* Per initiationem diaconi nec potestas recipitur, nec character; ergo. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* Potestas per ordinationem collata, sacramenti confectionem respicit, quemadmodum potestas, quæ per baptismum confertur, sacramentorum susceptionem spectat. Atqui diaconus nullam sacramentorum conficiendorum potestatem recipit; ergo. *Prob. 2<sup>o</sup>.* Ex epistola VIGILII Rom. Pontificis ad Rusticum et Sebastianum, quæ extat Collat. VII. Synodi V. (Lab. t. 5. p. 552. E.) ex qua apparet, diaconos quosdam ad tempus constitui, sicut idem Sebastianus, absentibus diaconis Stephano et Anatolio, diaconus a Pontifice creatus est, et subinde a diaconatu iterum dejectus. Ergo inaugurationio diaconi non tribuit permanentem aliquem effectum seu characterem.

R. *N. Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>.* N. M. Falsum enim est omnem potestatem sacramentalem ad sacramenta conficienda pertinere. Manifestum hoc est in confirmatione, quæ licet sacramentum sit, nullam tamen administrandi sacramentorum facultatem tribuit. Neque characteres ordinis et baptismi ita inter sese comparantur, ut, quemadmodum character baptismi ad sacramenta recipienda, ita character ordinis absolute ad ea conficienda hominem idoneum reddat.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. VIGILIUM loqui non de ordinis *characterem*, sed *officio et loco*. Sebastianum enim, qui *Judicato* suo in causa trium Capitulorum edito per Italiam et Africam palam obstrepebat, ea lege diaconi honore ornaverat, ut in officio contineretur; cum vero rediisset ad ingenium, atque ad Concilium Constantinopolitanum II. profectus turbas rursus excitasset, merito a Vigilio diaconorum gradu seu officio submotus fuit.

83. *Inst. 2.* Potestas collata per ordinationem, quæ sacramentum sit, suapte natura tendit ad faciendum aliquid, quod sine ipsa nullo pacto fieret, ut patet in sacerdotio: atqui in diaconatu hujusmodi potestas non confertur, cum omnia diaconorum munia etiam a non diaconis saltem valide exerceri possint; ergo.

R. *N. Maj.* Tametsi enim per sacerdotium talis facultas tribuatur, ut qui eo sacramento caret, conficere Eucharistiam nullo modo possit; hoc tamen generalim non probat, quacumque ordinatione hujusmodi impertiri facultatem debere, ut, quod per ipsam fit, sine ipsa nulla ratione fieri possit; satis quippe est, si detur, ut melius fiat. Liquet denuo in Confirmatione, cujus beneficio character seu facultas ad fidem intrepide profitendam confertur, etsi non confirmatus eandem fortiter constanterque profiteri valeat. Quemadmodum igitur Confirmatio sacramentum est, quoniam ad fidem melius profitendam tribuit firmitatem ac robur, quamvis citra illam fides propugnari fortiter possit: ita ordinatio diaconi sacramentum erit, eo quod facultatem impertiat ad obeundum melius ea munia, quæ absolute exerceri sine illa possent.



## 84. QUÆRES, quid de Diaconissis sentiendum?

Cum Diaconissarum frequens apud veteres occurrat mentio, in libris etiam Pontificalibus illarum ordinationis et consecrationis ritus comprehendatur; de iis hic necessario est agendum, ne forte sacramento ordinis initiatæ credantur. Unde ad questionem

R. 1<sup>o</sup>. Diaconissarum nomine hic intelligimus, non uxores diaconorum, quemadmodum in Conc. Turonensi II. can. 12. et 13. (Labb. t. 5. p. 855. D. E.), legimus *Episcopos, Presbyteras et Subdiaconissas*, Episcoporum, Presbyterorum et Subdiaconorum conjuges, sed pudicas quasdam honestasque mulieres, ad Ecclesiæ ministerium deputatas: quæ quidem tam ex viduis, quam virginibus deligebantur, ut liquet ex Constit. Apost. L. 6. c. 17. (Labb. t. 1. p. 393. A.) ubi legitur: *eligatur Diaconissa virgo pudica; sin autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ unam nupserit, et fidelis atque honorata*. Et S. EPIPHANIUS cap. ult. Panarii de iisdem ait: *ille quidem univiræ et continentes esse debent, vel post unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines*.

R. 2<sup>o</sup>. Diaconissarum institutionem antiquissimam esse constat 1<sup>o</sup>. ex Apostolo ad Rom. c. 16. ita scribente: *commendo autem vobis Phæben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris*; ubi in græco legitur, *διάκονον τῆς ἐκκλησίας*, diaconam Ecclesiæ: ideoque apud Græcos in oratione secunda, quæ fit ad ordinandam diaconam, rogatur Deus, ut ei, quæ in diaconam consecratur, largiatur Spiritum sanctum, *ut largitus est Phæbæ*. Liquet 2<sup>o</sup>. ex aliis momentis Ecclesiasticis. Nam ut omnittam constitutiones Apost. modo commemoratas, meminit diaconissarum S. IGNATIUS in epist. ad Smyrnæos, et ad Antiochenos; TERTULLIANUS L. 1. ad uxorem cap. 7. et de velandis virginibus c. 9. Mentio itidem illarum fit can. 49. Conc. Nicæni, can. 13. Chalcedonensis, can. 11. Laodiceni.

R. 3<sup>o</sup>. Diaconissæ ritu aliquo sacro fuere initiatæ. Nam in Constit. Apost. c. 19. et 20. legitur (Labb. t. 1. p. 489. B. C.): *De diaconissa vero ego Bartholomæus constituo, ut manus ei, Episcopo, imponas, presentibus presbyteris et diaconis ac diaconissis, et dices: Deus æternæ... qui Mariam, Deborah, Annam et Oldam Spiritu sancto implevisti, ipse nunc respice hanc ancillam electam ad ministerium (εἰς διακονίαν) et mundam effice ab omni inquinamento carnis, et spiritus, ut opus sibi impositum digne perficiat, etc.* TERTULLIANUS L. 1. ad uxorem c. 7. quantum, inquit, *fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et Apostoli præscriptio declarat, cum digamos non sinit præsidere, cum viduam adlegi in ordinationem nisi univiram non concedit*. Et in fine adhortationis ad castitatem de iisdem viduis verba faciens eodem ordinandi verbo utitur: *Quantæ igitur, et quæ in Ecclesiis? ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt*. GOARIUS vero in Euchologio Græcorum, et ARCIIDIUS L. 6. c. 10. ritum referunt, quo apud Græcos diaconissæ ordinari consueverunt, illumque ferme eundem, quo initiantur diaconi, manifeste apparet.

R. 4<sup>o</sup>. Hæc tamen diaconissarum ordinationis non fuit initiatio aliqua sacramentalis. Illa namque manus impositio, et alia, quæ præstabantur, ad meram ceremoniam pertinebant: nusquam enim diaconissis facultas ad altaris ministerium collata fuit. Unde EPIPHANIUS hæc. 79. (opp. t. 1. p. 1060. C.)

inquit: *Quamquam diaconissarum in Ecclesia ordo sit; non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est*. Rationem addit depromptam ex epist. 1. ad Cor. 14. ubi prohibentur mulieres in Ecclesia loqui; unde infert illas ab subeunda ecclesiastica munia prorsus esse ineptas. Illarum itaque ordinationis ad evitanda scandala servandamque fidelium existimationem instituta fuit. Electæ scilicet diaconissæ fuere primum, teste EPIPHANIO loc. cit. *ut muliebris secus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsint, sive cum nudandum est corpus mulieris, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita*. Deinde cum negotium aliquod urgeret, nec adire feminas Episcopis congruum videretur, diaconissæ eorum ad illas mandata deferebant, id quod Const. Apost. L. 2. c. 26. asseritur. Insuper rusticanas et imperitas mulieres fidei rudimentis imbuebant, ut constat ex Conc. Carthag. IV. can. 12. (Labb. t. 2. p. 1201. A.) Denique portam, qua in Ecclesiam mulieres ingrediebantur, custodiebant, unde S. IGNATIUS martyr in epist. ad Antiochenos, *saluto*, inquit, *sanctarum portarum custodes diaconissas*. Hæc de diaconissis breviter et summam, plura legi possunt apud Morinum part. 3. Exercit. 10. cap. 2.

## ARTICULUS VI.

## DE SACERDOTIO.

85. Nota. *Sacerdotum ordo bipartitus est*, inquit ANACLETUS Pontifex epist. 3. c. 1. (Labb. t. 1. p. 528. A.) Episcoporum scilicet, qui sacerdotes *primi* appellantur, et Presbyterorum, de quibus RHABANUS L. 1. Instit. Cleric. cap. 6. ait: *secundi vero ordinis viri presbyteri sunt*. Utrumque igitur hoc articulo complectemur. Ac 1<sup>o</sup>. inquiremus, an presbyteratus sit sacramentum? Cui tamen quæstioni non immorabimur diutius: iisdem enim momentis, quibus art. 1. hujus capituli ordinationem generatim sacramentum esse demonstratum est, presbyteratum quoque esse hujusmodi aperte declaratur: nihilominus quædam proferemus, quæ ad sacerdotium ipsum peculiari ratione pertinere videntur.

2<sup>o</sup>. Investigabimus, utrum episcopatus sit sacramentum a presbyterio distinctum? Qua in re non una Theologorum est opinio inter Catholicos, quorum tantum hac in parte sententiam ad examen vocabimus; nam quid hæretici sentiant, infra expendemus. Antiquiores, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albertus M., S. Bonaventura, Divus Thomas, Dominicus Soto, Turrecremata negant episcopatum esse verum ordinem aut sacramentum a sacerdotio distinctum, sed aiunt illum meram extensionem esse characteris sacerdotalis ad nova officia, potestatem ampliolem ac dignitatem. Fatentur tamen hi Doctores, per ordinationem Episcopi conferri gratiam, atque ipse S. THOMAS Lect. 3. in epist. 2. ad Timoth. explicans illa verba: *quæ est in te per impositionem manuum mearum*, inquit: *a quo scilicet ordinatus erat Episcopus; in qua manus impositione data est ei gratia Spiritus sancti*. Negant autem gratiam istam esse sacramentalem, quoniam non datur ad Eucharistiam digne conficiendam, sed ad munia episcopalia digne exereenda. His vero contradicunt Navarrus in Manuali c. 23., Petrus